



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sponsalia Et Matrimonium

Schmalzgrueber, Franz

Ingolstadii, 1726

Titulus XIII. De eo, qui cognovit Consanguineam Uxoris suæ, vel Sponsæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75229](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75229)

pedimentum Cognationis Legalis, Engl *bic* n. 7. König n. 10. & alij communiter. *Ratio est*, quia non omnis adoptio caulat Impedimentum, & talis unio non tam fit propter majorem conjunctionem personarum, quam potius bonorum, ut diverforum Matrimoniorum liberi æqualiter in bonis tam paternis, quam maternis succedant.

36 Et hinc si Viduus ducat Viduam & ambo jam prius ex alio Matrimonio habeant liberos, quos deinde per Matrimonium conjungant, non obstante hac conjunctione, adhuc inter eos Matrimonium esse poterit; cum enim hæc Unio prolium sit Jure scripto incognita, & tantum de consuetudine introducta, Leges nihil de ea consti-

tuerunt: sine textu autem expresso aliquod Impedimentum statuere planè inconveniens videtur. *Novell. 18. c. 5.*

Quæritur 13. Quis dispensare in Cognatione Legali possit? *¶* clarum est in hac dispensare posse Summum Pontificem, & quidem solum, cum sit impedimentum, Juris communis. In Linea recta, & in Affinitate Legali, teste König *bic* n. 12. dispensat difficillimè, & non nisi ex gravi causa. In Linea transversali Dispensatio rardè petitur, cum in promptu sit emancipatio, quâ Cognationis Legalis Impedimentum tollitur ita, ut adoptatus citra ullam Dispensationem cum filia carnali adoptantis Matrimonium inire possit, ut dictum est n. 27.

TITULUS XIII.

De eo, qui cognovit Consanguineam Uxoris suæ, vel Sponsæ.

SUMMARIUM.

1. Affinitas contrahitur etiam per copulam illicitam.
2. Peccans cum consanguinea uxoris suæ privatur jure petendi debitum.
3. Et tam ipse, quam complex prohibetur à contrahendo Matrimonio cum alia quacunque persona.
4. Quod Impedimentum est tantum impediens.
5. Hujus effectus.
6. Prius Impedimentum adhuc viget.
7. Posterius probabiliter consuetudine defacto sublatum est.
8. Utrumque extenditur defacto duntaxat ad casum, quo incestus commissus est cum consanguinea uxoris in primo, vel secundo gradu.
9. Hujus ratio.
10. Qui peccat cum consanguinea Sponsæ in primo, & secundo gradu, nequit amplius contrahere Matrimonium cum Sponsa, & alijs in simili gradu conjunctis.
11. Et prohibetur nuptias inire cum alia quacunque.
12. Quod multo magis procedit in peccante cum Consanguinea Sponsæ de presenti.
13. 14. Impedimentum in Sponsalibus de futuro est temporale.

15. Perpetuum in Sponsalibus de presenti.
16. Quoad vim impediendi Matrimonium cum alia hodie exolevit.
17. Disparitas peccantis cum consanguinea uxoris, & peccantis cum Consanguinea Sponsæ de futuro.
18. Ut Impedimentum hoc inducatur, requiritur, ut incestus sit commissus; cum consanguinea uxoris, aut Sponsæ vera.
19. Et scienter.
20. Item ut incestus iste sit voluntarius.
21. Et consummatus.
22. Non autem est necesse, ut sit publicus, & notorius.
23. Velut incestuosus sciat, hoc Impedimentum esse à Jure statutum.
24. 25. 26. Idem Impedimentum incurrit uxor, vel Sponsa delinquens cum consanguineis mariti, vel Sponsi.
27. 28. 29. Peccans cum consanguinea propria Impedimentum hoc non incurrit.
30. Si agatur de Matrimonio contrahendo, etiam uni alleganti Impedimentum creditur.
31. Si de eo dissolvendo, plena probatione est opus.
32. 33. An eadè opus sit etiam, quando agitur de Matrimonio contracto conservando?

Cognationem Spiritualem, & Legalem sequitur Cognatio Naturalis, quæ duplex est, Consanguinitas, & Affinitas; nam etiam Affinitas vulgari sermone venit Cognationis nomine, ut Gonzal. in c. fin. h. tit. n. 4. cum alijs ex Aristotele l. 2. Eth. c. 3. notat. Affinitas contrahi potest vel per copulam licitam, vel per illicitam. In quo Jus Canonicum recedit à Jure Civili; nam Jure Civili Cognatio, & Affinitas dicitur oriri solum ex justis nuptijs l. non facile 4. S. scien-

dum s. ff. de gradib. & affinit. At Jure Canonico tam Cognatio, quam Affinitas etiam oritur ex copula illicita, & fornicaria; neque illegitimè natus ducere potest familiam, per patrem, vel matrem suam, quamvis illegitima natiuitate, sibi conjunctam. Vel potius, ut vitetur Juris Canonici à Civili divortium, textus l. cit. intelligendus est, non de Cognatione à natura introducta; nam ex hac illegitimus revera etiam filius, vel frater, aut cognatus est toto Tit. ff. & C. de

de natur. liber. sed quòd non sit Cognatus in ordine ad effectus Juris Civilis, qui Cognatis aliàs adscribuntur, uti sunt successio hæreditaria, tutelæ administratio, nobilitas familiaris &c. Porro de affinitate, quæ per copulam licitam contrahitur, agitur Tit. seq. ubi etiam de Consanguinitate. Hoc Titulo tractabitur de Affinitate, quæ contrahitur per copulam illicitam, & quæritur, quale Impedimentum præstet Matrimonij tum contrahendis, tum contractis: in quo distinguendum est, an copula illicita præcesserit Matrimonium, an verò sequatur illud jam antè contractum. Et hinc

3 Quæritur 1. Quale Impedimentum contrahat maritus, qui post contractum Matrimonium incestum committit cum consanguinea uxoris suæ? R. hic duplicem incurrit penam; nam 1. privatur jure petendi debitum à propria sua uxore, quamvis illi illud petenti teneatur reddere, ne mariti sui injuria, & culpa redundet in ejusdem præjudicium. Ita Sylv. V. Matrimonium 8. q. 15. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 7. §. 2. n. 6. Sanch. l. 7. de Matr. D. 15. n. 1. Pont. l. 6. de Matr. c. 13. n. 8. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 5. n. 3. §. nihil refert. Vivian. in c. 1. b. tit. §. sed exactionem, Canif. ibid. n. 1. Barbof. n. 1. Gonzal. n. 4. & in c. fin. eod. n. 5. Vallenf. hic n. 2. §. dixi, Zœf. n. 6. Honor. n. 3. Engl. n. 1. Pirhing n. 2. Schambog. n. 3. Wiestner n. 1. & statuitur c. siquis 1. c. transmissæ 4. & c. fin. b. tit. Neque refert, sive delictum hoc sit occultum, sive publicum; quia utroque casu affinitas contrahitur, ob quam solam incestum committens privatur jure petendi debitum. Laym. l. cit. not. 2. Vallenf. n. 7. Zœf. n. 11. Wagnereck in c. 4. cit. not. 1.

3 2. Eodem casu tam maritus, quam ipsius in incestu complex impediuntur à Matrimonio contrahendo, uxore mortuâ, non tantum secum invicem (nam hoc per se clarum est ob impedimentum dirimens Affinitatis) sed etiam cum alia quacunque persona can. concubuiſti 23. caus. 52. q. 7. c. siquis 1. c. veniens 2. & transmissæ 4. b. tit. in poenam gravissimæ irreverentiæ Sacramento Matrimonij, & injuriæ, quam per talem incestum passâ est uxor. Sanch. D. 15. cit. n. 3. Vivian. in c. 1. cit. §. crimen. Barbof. ibid. n. 1. Gonzal. in c. fin. eod. n. 5. Canif. ad Rubr. b. tit. n. 2. Zœf. hic n. 6. Engl. n. 2. Pirhing n. 2. §. 3. Schambog. n. 3. Reiffenstuel tit. 14. infra n. 55. Extenditur Impedimentum istud etiam ad casum, quo maritus incestum committit cum consanguinea uxoris suæ jam defunctæ, ut ex c. transmissæ cit. desumit Gaëta in can. ad limina 7. caus. 30. q. 3. §. 4. n. 295. Sanch. l. cit. n. 12. Canif. in c. 1. cit. n. 2. Barbof. in c. 4. n. 1. §. 2. Wagnereck ibid. not. 1. Vallenf. hic n. 7. Engl. n. 5. Pirhing n. 4. R. P. Schmalzgrueber L. IV.

Schambog. n. 4. Wiestner n. 3. Reiffenstuel l. cit. n. 56.

Dub. 1. An Impedimentum istud sit solum impediens, an verò etiam dirimens? R. cum distinctione; nam respectu complicis in incestu est dirimens, non tamen ratione incestus, sed Affinitatis, quæ confurget ex Matrimonio contracto cum uxore sua, & dirimit Matrimonium cum consanguineis uxoris usque ad quartum gradum. Respectu aliarum personarum, cum quibus tam maritus, quam illius in incestu complex prohibetur contrahere, est solum impediens: & hinc si tali casu vir post mortem uxoris, aut ejus in delicto complex contra prohibitionem SS. Canonum aliud Matrimonium cum alio iniret, illud validum foret, ut rectè Covar. p. 2. de Sponsal. c. 7. §. 2. n. 6. Sanch. l. 7. de Matr. D. 15. n. 1. Vivian. in c. 1. §. crimen in fin. b. tit. Canif. ibid. n. 2. Zœf. hic n. 6. Pirhing n. 2. not. 1. §. altera, Schambog. n. 3. Wiestner n. 6. Ratio est, quia textibus supra citatis, Matrimonium tali incestuoso cum alio ineundum solum interdicitur, non verò contra prohibitionem initum irritatur.

Habet autem prohibitio hæc duplicem effectum: quorum primus est, ut Matrimonium absque dispensatione contrahens peccet: & ideo Impedimentum istud inter Impedientia recensetur. Alter, quòd si contraxit contra prohibitionem Ecclesiæ aliud Matrimonium cum alia, prima sua uxore mortua, debitum quidem ei teneatur reddere, sed nisi cum ipso dispensatum sit, illud non possit petere, ut notat Covar. n. 5. cit. Sanch. n. 12. Pirhing n. 5. Wiestner l. cit. Neque ad Impedimentum hoc incurrendum desideratur Judicis sententia, sicut non desideratur ad incurrenda alia Impedimenta tum dirimentia, tum impediencia.

Dub. 2. An Impedimentum istud moderno usu adhuc receptum sit? R. sub distinctione data n. 4. Nam quoad amissionem Juris petendi debitum ab altero conjugè, cujus consanguineam violavit conjux incestuosus, Impedimentum hoc adhuc viget. Monet tamen hic P. Engl. n. 9. si Confessarius videat, quòd incestuosus sit in bona fide, & invincibiliter ignoret (sicut homines agrestes plerumque ignorant) obligationem non petendi debitum à legitima sua conjugè, ac simul adsit periculum incontinentiæ, & transgressionis, non esse istum ab illo commonendum de obligatione ista; quia aliàs, qui propter bonam fidem non peccavit, jam exponeretur periculo peccandi.

Alterum Impedimentum, quo prohibetur incestuosus, & ejus complex contrahere Matrimonium cum quacunque alia persona, verisimiliùs non usu, seu consuetudine contraria est sublatum, ut rectè observant Navarr. Man. c. 22. n. 75. Perez D. 23. de Matr. sect. 5. n. 8. Wiestner hic n.

15. Reiffenstuel tit. 14. infra n. 61. ex quibus testatur Navarr. l. cit. se nunquam vidisse, vel intellexisse, quod ullus incestuosus petierit dispensationem vel à Papa, vel ab Episcopo, nisi ut contraheret cum ea, cum qua incestum commisit, vel cum ejus consanguinea, ob Affinitatem inde ortam. Quare nisi in aliqua Provincia, vel Diœcesi Impedimenti istius usum vigere constet, pœnitentes incestuosi, præsertim juvenes, à Matrimonio cum alijs contrahendo non facillè arcendi sunt.

8. Dub. 3. In quo gradu debeat complex incestus esse consanguinea uxoris, ut tam ipsa, quam maritus, incestum cum ea committens, contrahant Impedimentum istud? *¶* Jure antiquo extendebatur ad quartum gradum arg. c. non debet 8. de consang. & affinit. At novissimo Jure Tridentini Impedimentum Affinitatis, ortum ex copula fornicaria, non porrigitur ultra gradum secundum sess. 24. c. 4. de reform. Matr. adeoque post Concilij istius Decretum jam maritus à debiti conjugalis petitione non impeditur, nisi fornicatus fuerit cum uxoris suæ consanguinea in primo, vel secundo gradu, prout rectè observant Sà V. Matrimonium de Imped. imped. n. 7. Sanch. l. 7. D. 15. n. 4. Gutier. c. 99. n. 16. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 5. n. 3. not. 4. Fagnan. in c. non debet 8. de consang. n. 17. & in c. fin. eod. n. 17. Trib. seqq. Barbol. in c. fin. h. tit. n. 3. Gonzal. ibid. n. 5. Wagnereck in c. 4. eod. not. 3. Vallens. hic n. 6. Zœs. n. 8. Honor. n. 1. Engl. n. 6. Pirhing n. 21. & 29. Schambog. n. 18. Wiestner n. 1. König tit. 14. n. 31. Reiffenstuel ibid. n. 54. & teste Fagnano declaravit S. Congreg. & S. Pius V. mot. propr. edito 20. August. 1566.

9. Ratio est, quia pœna illa incurritur propter incestum cum consanguinea conjugis ratione Affinitatis inde contractæ cum uxore. atqui hodie ex actu fornicario ultra secundum gradum non contrahitur Affinitas impediens Matrimonium, vel usum illius, ergo &c. Et hinc is, qui v. g. cum concubina suæ consanguinea in gradu tertio fornicatur, non committit crimen incestus, sed tantum simplicem fornicationem, si solutus sit, adulterium, si conjugatus, adeo, ut circumstantiam hanc Affinitatis in Confessione explicare non teneatur. Gutier. l. 1. can. c. 23. n. 3. Sanch. l. 7. de Matr. D. 67. n. 8. Laym. not. 4. cit. quandoquidem Incestus non dicitur, nisi earum personarum carnalis copula, inter quas Matrimonium consistere nequit, ut colligitur ex toto Tit. C. de incest. & inut. Nupt. Dixi, Qui cum concubina suæ consanguinea fornicatur; nam si fornicetur quis cum consanguinea uxoris suæ etiam in tertio, & quarto gradu, explicare circumstantiam istam in Confessione tenetur, quamvis propterea non impediatur à petitione debiti; quia cum in-

ter eos consistere nequeat Matrimonium ratione Affinitatis contractæ cum complice, revera committit incestum: quia verò incestus iste non vicissim causat Affinitatem cum uxore, ratione cujus solius tollitur incestuosus; jus petendi debitum, ideo hoc jus adhuc integrum ipsi manet.

Quæritur 2. Quale Impedimentum contrahat Sponsus, si fornicetur cum consanguinea suæ Sponsæ, huic conjuncta in primo, vel secundo gradu? *¶* hoc casu incurrit duplex Impedimentum: ex quibus primum est dirimens, vi cujus Sponsus prohibetur contrahere Matrimonium cum Sponsa, & ejus consanguineis in primo, & secundo gradu, & vicissim Sponsa prohibetur contrahere cum Sponso, & hujus consanguineis in simili gradu conjunctis, idque ob Affinitatem ex ejusmodi copula exurgentem, ut statuitur c. veniens 2. & 9. h. tit. & notant Abb. in c. 2. cit. n. 3. Alex. de Nevo n. 3. Canis. n. 2. Wagnereck not. 1. Gonzal. in c. fin. n. 2. & 6. Vallens. hic n. 1. & si igitur, Zœs. n. 3. Honor. n. 2. Engl. n. 10. Pirhing n. 9. Schambog. n. 5. Wiestner n. 4. König tit. 14. n. 30. Reiffenstuel ibid. n. 62. Ex quo sequitur, quod Affinitas superveniens ex concubitu fornicario majorem vim habeat, quam, Sponsalia quippe quæ dissolvuntur, superveniente hujusmodi Affinitate.

Alterum est Impediens, quo Sponsus, & hujus complex, si illa sit consanguinea Sponsæ in primo gradu, videlicet mater, filia, vel soror illius, inhabiles redduntur ad licitè contrahendum Matrimonium etiam cum alia persona, ut colligitur partim ex c. cit. partim ex Decreto Trid. sess. 24. c. 3. de reform. Matr. ubi Impedimentum publicæ honestatis, inter Sponsum, & consanguineos Sponsæ, ex Sponsalibus de futuro ortum, ad primum gradum reducitur; inductum enim est Impedimentum hoc secundum ob violatam publicam honestatem, & ortam ex Sponsalibus, accedendo ad Sponsæ consanguineam: undè cum Honestatis publicæ impedimentum extra primum gradum in Sponsalibus de futuro se non extendat, nec pœna hæc, & impedimentum se ultra illum gradum extendet. Gaëta in can. ad limina 30. q. 1. §. 4. n. 208. Gutier. de Matr. c. 87. n. 8. Sanch. D. 15. cit. n. 5. in fin. Vallens. hic n. 2. Pirhing n. 9. not. 2. Schambog. n. 5. Wiestner n. 5.

Simile Impedimentum, & à fortiori incurrit Sponsus fornicationem committens cum consanguinea Sponsæ suæ de præsentem, seu cum qua contraxit Matrimonium ratum: imò Impedimentum hoc in quibusdam est fortius. Nam primò peccans cum consanguinea sponsæ de præsentem contrahere Matrimonium nequit cum ulla intra quartum gradum conjuncta Sponsæ: idque ratione publicæ honestatis, quæ ad eum gradum ex Matrimonio rato se extendit. 2. Impedi-

mentum, ex his Sponsalibus ortum, quo prohibetur delinquens etiam post mortem Sponsæ suæ de præsentem aliam ducere, se extendit ad quartum gradum; nam ut paulo antea dictum est, ad eum gradum se extendit Publica Honestas in Matrimonio rato, ratione cuius violatæ hæc poena indicta est. 3. In Sponsalibus de futuro ad aliam ducendam, quæ Sponsæ in primo, & secundo gradu conjuncta non est, dispensare potest Episcopus; nam de hujus dispensatione Abb. Alex. de Nevo, Sanch. l. cit. intelligunt verba c. veniens 2. b. tit. ubi Alexander III. Si matrem Sponsæ suæ cognovit, si Sponsæ nunquam carnaliter abbasit, poterit ex dispensatione cum alia contrahere. Contrà qui peccavit cum consanguinea Sponsæ suæ de præsentem, ut ex communi Sanch. l. cit. notat, non potest cum alia contrahere ex dispensatione Episcopi.

13 Dub. 1. An Impedimentum, quod peccans cum consanguinea suæ Sponsæ de futuro prohibetur cum alia contrahere Matrimonium, sit perpetuum? 2. Probabilis non esse perpetuum, sed temporale, quamdiu scilicet complicum uterque vivit; ut rectè advertunt Abb. in c. duo pueri 12. de despons. impub. n. 7. Alex. de Nevo ibid. n. 9. Covar. p. 2. de sponsal. c. 6. pr. n. 4. Sanch. l. 7. de Matr. D. 15. n. 5. Wagnereck in c. 2. b. tit. nor. 3. Vallens. hic n. 2. Pirhing n. 10. Schambog. n. 5. Wiesner n. 6. & colligitur Argumento ducto à sensu contrario ex c. duo pueri cit. ibi: Neutri, viventem altero; dabitur licentia contrahendi: ex quo sequitur, si istorum alter sit mortuus, cessare hoc Impedimentum, atque adeo superstitem liberè posse contrahere aliud Matrimonium.

14 Ratio, quare viventem complice, Ecclesiæ utrique interdixerit nuptias cum alia persona, est, ne delictum maneat impunitum: quod verò alterutro mortuo, superstiti permiserit conjugium cum alia persona, quod prohibuit illi; qui incestum commisit cum consanguinea uxoris suæ, causa fuit, quia fornicatio cum consanguinea Sponsæ non est propriè incestus, sicut tamen incestus est fornicatio cum consanguinea uxoris, eò, quod per Matrimonium consummatum contrahatur Affinitas cum consanguineis conjugis; non autem per sponsalia, sed tantum Impedimentum publicæ Honestatis: cum ergo, qui fornicatus est cum consanguinea Sponsæ suæ, minus peccaverit, quam qui fornicatus est cum consanguinea uxoris suæ, decebat eum etiam puniri mitius, & ex parte ipsius induci impedimentum temporale tantum, licet per incestum commissum cum consanguinea uxoris contrahatur Impedimentum perpetuum.

15 Dub. 2. An simili modo temporale duntaxat impedimentum sit, quod oritur ex fornicatione commissa cum consanguinea Sponsæ de præsentem? Ratio dubitandi est,

quia nec ista copula est incestus; incestus enim propriè est cum consanguineis, & affinis, atqui ante Matrimonium consummatum non est propriè Affinitas contracta, sed intercedit tantum Impedimentum publicæ honestatis, ergo &c.

Sed dicendum hoc Impedimentum in casu, quo Sponsus peccat cum consanguinea suæ Sponsæ de præsentem, esse perpetuum, & persistere etiam post mortem alterutrius complicum. Ita Sylv. V. Luxuria q. 4. dist. 5. Sanch. l. 7. de Matr. D. 15. n. 6. & sumitur ex c. transmissa 4. b. tit. ubi incestuoso conjugii petitio debita, & Matrimonium novum in perpetuum prohibetur, atqui ut prius jure petendi debitum, perinde est, an Matrimonium cum conjugè, cujus consanguineam violavit, sit consummatum, sive non; nam utroque casu petitionem debiti impedit Affinitas contracta cum sua conjugè, ergo perinde etiam erit in ordine ad inducendum impedimentum perpetuum Matrimonij contrahendi deinceps.

Ad Rationem dubitandi licet talis copula cum consanguinea Sponsæ de præsentem incestus non sit, eam tamen læditur Matrimonium jam initum, ad quam injuriam vindicandam SS. Canonès induxerunt privationem Juris petendi debitum.

Dub. 3. An Impedimenta ista moderno usu adhuc recepta sint? 1. cum distinctione, quæ usus sum n. 6. dum agerem de Impedimento, quod incurrit maritus peccans cum consanguinea uxoris; nam triplex Impedimentum Sponsus peccans cum consanguinea Sponsæ suæ incurrit. 1. Si Sponsus sit de præsentem, contracto jam Matrimonio rato, prohibetur petere debitum à sua conjugè. 2. Si per verba de futuro desponsatus sit, contrahere nequit Matrimonium cum sua Sponsa. 3. Uterque vetatur inire Matrimonium cum alia quacunque. Ex his Impedimentis duo priora Impedimenta moderno usu adhuc recepta sunt; tertium probabilis non usu, seu consuetudine contraria sublatum est, vel si adhuc alicubi viget, potestatem in eo cum Sponso de futuro, & ejus complice dispensandi ordinariam vi Juris communis habet Episcopus secundum dicta n. 12.

Ex quo sequitur, quod diversa sit ratio 17. peccantis cum consanguinea Sponsæ suæ, cum qua Sponsalia de futuro duntaxat habet, & alia peccantis cum consanguinea uxoris suæ; nam huic non conceditur Dispensatio, vel saltem non nisi difficulter. Ratio diversitatis est, quia, ut n. 14. innui, iste, qui cum consanguinea uxoris suæ peccat, delinquit gravius, utpote incestum verum committens; minus graviter autem peccat, qui peccat cum consanguinea Sponsæ suæ, quippe cujus delictum est solum quasi incestus.

Quæritur 3. Quid requiratur, ut con- 18. trahantur relata Conjugiorum Impedimenta?

Pp 3

4. Ex

3. Ex communi necessarium est. 1. ut incestus sit commissus cum uxoris, vel sponsæ consanguinea vera; nam si fornicatio commissæ sit cum uxoris, vel sponsæ Cognata Spirituali, vel Legali, Impedimenta ista non contrahuntur. Navar. *tit. de Cognat. Spirit. conf. 2. n. 6.* § 8. Palacios *in 4. dist. 34. D. 2. col. 11. §. ceterum*, Sanch. *l. 7. de Matr. D. 15. n. 8.* Zoëf. *hic n. 13.* Engl. *n. 7.* Pirhing *n. 20.* Wiestner *n. 10.* Ratio est, quia copula inter Cognatos Spirituales, aut Legales tantum non est verè incestus: conf. Canones, Impedimenta ista statuentes incestui, non debent ad hanc extendi, cum extensionis istius nullum sit fundamentum in Jure.
- 19 2. Ut incestus ejusmodi sit scienter commissus, h. e. ut maritus, aut sponsus sciat, se cum hujusmodi consanguinea peccare; id enim expressis verbis desiderat textus *c. si quis 1. b. tit. ibi. Scienter.* Et hinc, si quis per ignorantiam habeat copulam cum uxoris suæ Sorore, vel alia consanguinea, quam putabat esse suam uxorem, non prohibetur petere debitum ab uxore sua, vel hac mortua, contrahere Matrimonium cum alia. Farin. *prax. crim. q. 17. n. 9.* Sanch. *D. 15. cit. n. 9.* Canil. *in c. 1. b. tit. n. 3.* Gonzal. *in c. fin. eod. n. 5.* Vallens. *hic n. 6. §. incestum.* Honor. *n. 4.* Engl. *n. 7.* Pirhing *n. 2. not. 4.* Wiestner *n. 12.* Reiffenstuel *tit. 14. n. 57.* Ratio est, quia cum ignorantia excuset à culpa, etiam excusabit à pœna; nam hæc culpa respondere debet.
- 20 3. Ut incestus sit voluntarius; nam si fœmina à consanguineo mariti, vel Sponsi sui per vim est carnaliter cognita, ipsa non incurrit hoc Impedimentum non contrahendi cum alio, nec pœnas illius, quia cum sit expers omnis culpæ, erit etiam expers omnis pœnæ, prout constat ex *c. discretionem 6. b. tit. Sanch. l. cit. n. 10.* Gutier. *c. 87. de Matr. n. 12.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 5. n. 3. not. 3.* Barbof. *in c. discretionem cit. n. 2.* Honor. *hic n. 4.* Engl. *n. 7.* Pirhing *n. 6.* § 13. Wiestner *n. 13.* Reiffenstuel *l. cit. n. 58.* At verò consanguineus mariti, qui illam violentè cognovit, incurrit Impedimentum contrahendi Matrimonium cum alia; quia est reus veri incestus. Sanchez cum alijs *suprà.*
- 21 4. Ut incestus sit consummatus, h. e. per carnalem copulam, quæ ad generationem prolis ex se apta est, perfectus *can. extraordinaria 11. caus. 35. q. 2.* § 3. & notat *ibidem* Gloss. *V. impeditur*, Archidiacon. *n. 3.* Bellamer. *n. 2.* Barth. à Ledesm. *de Matr. dub. 50.* Sanch. *n. 11.* Barbof. *in c. 7. b. tit. n. 2.* Gonzal. *ibid. n. 3.* Vallens. *§. incestum cit. Engl. n. 7.* Honor. *n. 2.* Et hinc Impedimentum istud non oritur ex copula cum puella impubere attentata. Schambog. *hic n. 16.* Ratio est, quia causa Impedimenti istius est affinitas iniquè contracta; atqui si copula non sit consummata, non producit eam Af-

finitatem; ac proinde nec Impedimentum, ergo &c. *Conf.* quia Impedimentum istud pœnale est; igitur restringendum ad actum ex genere suo perfectum.

5. Requiritur nonnulli, ut incestus sit publicus, & notorius notorietate Juris, aut facti propter textum *c. de illo 3. b. tit.* ubi non permittitur impedi Matrimonium sine notorietate incestus. Sed melius alij cum Gloss. *in can. qui dormierit 21. V. neutram caus. 32. q. 2.* Gutier. *qq. can. l. 1. c. 23. n. 2.* Sanch. *n. 13.* Wiestner *n. 14.* dicunt, relata Impedimenta contrahi etiam, quando incestus est occultus. Ratio est, quia Impedimenta ista infliguntur ipso Jure: & si requireretur notorietas, rarissimè ea contraherentur, utpote cum ejusmodi delicta, sicut occultè committuntur, ita ferè occulta maneant.

6. Denique nonnulli apud Dian. *p. 21. 10. tr. 13. ref. 51.* & Adam Burghaber *cent. 2. select. cas. conf. cas. 54.* requirunt scientiam Juris, statuentis hæc Impedimenta ob Affinitatem ortam ex copula illicita: & hinc volunt, eum, qui invincibiliter ignorat ex copula illicita oriri impedimentum Affinitatis, validè contrahere Matrimonium cum consanguinea intra gradum secundum cognitæ conjunctæ, ex ratione, quòd Impedimentum istud sit statutum in pœnam delicti; pœna autem non contrahatur ab ignorantibus. Sed contraria sententia est receptior; quia hæc Impedimenta non sunt puræ pœnæ, sed inhabilitates personarum, inductæ ob reverentiam naturalem propinquitatis: & hinc sicut Impedimentum criminis incurritur ab ignorante secundum dicta *Tit. 7. n. 59.* ita etiam ista, de quibus hic sermo est. Dicastill. *tr. 10. de matr. D. 9. n. 108.* Burghaber *l. cit. Engl. hic n. 10. §. postremo.*

Quæritur 4. An Impedimentum hoc etiam contrahatur ab uxore, & Sponsa de futuro, carnaliter delinquentibus cum consanguineis mariti, vel Sponsi? Ratio dubitandi est, quia omnes textus hujus Tituli, ubi Impedimentum istud statuitur, loquuntur de solo viro, cognoscente consanguineam uxoris, aut Sponsæ suæ; igitur pœnæ, his textibus constitutæ, ad fœminas extendi non debent. *Conf.* nam neque pœnæ, constitutæ in viros raptos fœminarum, afficiunt fœminas raptrices virorum, ut notat Clar. *§. raptus n. 6.* Decian. *tr. crim. l. 2. c. 7. n. 27.* Farin. *prax. crim. q. 145. n. 41.* § 42. licèt sit paritas rationis.

Sed dicendum, hoc Impedimento etiam fœminas affici, si peccent cum consanguineo mariti sui, vel sponsi. Ita Paludan. *in 4. dist. 34. q. 1. art. 2. n. 12.* D. Antonin. *3. p. tit. 1. c. 16. §. 4.* Sylv. *V. Matrimonium 7. q. fin. di. 3.* Armill. *V. eod. n. 57.* Gaëta *in can. ad limina 30. q. 1. §. 4. n.*

295. Tolet. l. 7. *Summ. c. 15. n. 2.* Sanch. l. 7. de *Matr. D. 15. n. 2.* Gutier. de *Matr. c. 87. n. 3.* Perez D. 23. *sect. 5. n. 2.* Barbof. in *c. 4. h. tit. n. 6.* Wagnereck in *c. 1. eod. not. 3.* Vallenf. *hic n. 4.* Zœf. n. 7. Pirhing n. 2, not. 2. Schambog. n. 3. *fin.* Wiestner n. 7. & expressè statuitur *can. si quis viduam 20. caus. 32. q. 7. & can. si quis cum matre 9. caus. 34. q. 2.*

Ratio est, quia vir, & uxor, sponsus, & Sponsa correlativa sunt, & in utrisque eadem prorsus est ratio, nempe gravis injuria, matrimonio, & Sponsalibus per ejusmodi incestum, & fornicationem illata; in correlativis autem, quando eadem est utriusque ratio, dispositum de uno, etiam de altero dispositum censetur *arg. l. fin. C. de indict. Viduit. ut eruditè ostendit Everhard. legal. arg. loc. à Correlativis n. 8.* Barbof. *axiom. Jur. 61. n. 1.* Wiestner l. cit. ergo & c.

26 Ex quo corrui ratio dubitandi allata in contrarium. Ad *Conf.* negatur paritas: nam pœnæ constitutæ in viros raptos fornicarum præter alia non extenduntur ad foeminas ideo, quia minùs sæpe contingit, ut foemina rapiat virum; incestus autem, & fornicationis crimen in utroque sexu est æquè frequens.

27 Quæritur 5. An incestus commissus cum consanguinea propria primi, vel secundi gradûs impediatur Matrimonium contrahendum cum alia? Affirmant Gloss. *fin. in can. de incestis 8. caus. 35. q. 3.* Alex. de Nevo in *c. veniens 2. h. tit. n. 7.* Paludan. in *4. dist. 34. q. 1. art. 2. n. 13. concl. 2.* Angel. *V. incestus n. 5. fin.* Navar. *can. c. 22. n. 74. §. contrarium.* Gaëta in *can. ad limina 30. q. 1. §. 4. n. 295.* Petr. de Ledefm. de *Matr. q. 58. art. 4. dub. 2.* Pont. l. 6. c. 13. n. 10. Palao *tr. 28. D. 4. p. 2. §. 2. n. 5.* & allegant pro se varios textus Juris Sacri, quibus volunt ejusmodi incestuosos præcisam spem omnem conjugij. Et 1. quidem *can. si quis viduam 20. caus. 32. q. 2.* ubi Concilij Moguntini PP. *Siquis viduam*, inquit, duxerit, & postea cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu cum duabus sororibus &c. eos disjungit, & ulterius nunquam in conjugio copulari præcipimus. 2. *Can. de incestis 8. caus. 35. q. 3.* ubi Concilium Agathense, incestuosos, ait, nullo conjugij nomine deputandos hos censemus esse, si quis frater germanam uxorem acceperit, si quis consobrinæ suæ se sociaverit &c. 3. *Can. si duo 4. caus. 35. q. 6.* ubi ex Concilio Urbani Papæ dicitur consanguineos committentes incestum alia Matrimonia contrahere non prohibendos esse, si juvenes sint, ubi Gloss. *V. non prohibeantur*, ait, ratione juvenilis ætatis, vel ipso Jure, si ignoranter conjuncti sint. Ergo si juvenes non sint, & scienter id fecerint, à nuptijs sunt prohibendi. 4. *Can. fin. caus. cit. q. 8.* ubi sermo est de incestuosis manentibus in incestu, & concluditur in fine canonis sic: *Et si alter eorum morte præventus*

fuerit, alter, quamdiu vivit, graviter pœniteat, & sine spe conjugij maneat. 5. Confirmat hoc sylus Curia, juxta quem, dum dispensatur cum consanguineis incestus inter se reis, ut ineant inter se Matrimonium, additur clausula, ut altero eorum defuncto, superstes non contrahat aliud Matrimonium. 6. Accedit ratio, quia incestus commissus cum propria consanguinea est gravior, quàm commissus cum consanguinea uxoris, vel Sponsæ.

Sed melius tenetur negativa, quam etiam defendunt S. Thom. in *4. dist. 34. q. un. art. 5.* Turrecr. in *can. quedam caus. 32. q. 7. n. 2. ad 3.* D. Antonin. *3. p. tit. 1. c. 16. §. 4.* Rosell. *V. Impedimentum Imped. 8. n. 18.* & 19. Sylv. *V. Matrimonium 7. q. 6. dist. 3.* Covar. *p. 2. de Sponsal. c. 6. pr. n. 4.* Carrer. de *Sponsal. l. 5. c. 22.* Henriq. l. 12. de *Matr. c. 2. n. 4. pr.* Sanch. l. 7. de *Matr. D. 15. n. 16.* Laym. l. 5. *tr. 10. p. 4. c. 5. n. 3. not. 1.* Wagnereck in *c. 4. h. tit. not. 1.* Vallenf. *hic n. 7.* Zœf. n. 9. Engl. n. 3. Pirhing n. 7. Wiestner n. 9. Ratio est, quia hujusmodi incestuosi à conjugij contrahendis nullibi expressè arcentur; textus enim, qui n. præc. in contrarium allegati sunt, solum loquuntur vel de incestu cum consanguinea uxoris, aut Sponsæ, vel de incestu quidem commissio cum consanguinea propria, à cujus consuetudine delinquens monitus desistere Ecclesiasticæ potestati non paruit: unde cum pœnales sint istæ Leges, ad incestum, commissum cum propria consanguinea sine contumacia, & Ecclesiasticæ potestatis contemptu, inhabilitas ad contrahendum cum alia Matrimonium, in pœnam hujusmodi delinquentibus ijs Juribus statuta, extendi non debet *arg. Reg. factum 155. ff. & Reg. Odia 15. in 6.*

Ex quo patet ad textus, & Argumenta allata ab Adversariis. Ad 1. *can. si quis viduam* non est sermo de omni conjugio, sed de solo illo, quod contractum est inter ipsos consanguineos, & jubetur id Matrimonium ita separari, ut ampliùs ad talem copulam incestuosam non veniant. Ad 2. *can. de incestis iterum* sermo duntaxat est de conjugio incestuoso, inito cum consanguineis; nam cum alijs conjugium apertè permittitur *textu cit. in fin. ibi: Sane, quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt in eandem melioris conjugij libertatem.* Ad 3. *can. si duo*, ut Cajetanus, & Palacios apud Sanch. l. cit. n. 17. advertunt, ibi non statuitur, ut si juvenes non sint, interdicitur illis Matrimonium, sed solum causa assignatur, cur illi, qui juvenes sunt, si ad nuptias legitimas velint transire, ab his minime sint prohibendi. Ad 4. *can. fin. spes conjugij incestuosus* adversus monitionem contumacibus admittitur, quia injungitur illis solennis pœnitentia pro vitæ totius tempore: quæ cum Matrimonij impedimentum sit, mirum non

non est, quod ea durante alia conjugia non possint contrahere: modò poenitentia solenni ab Ecclesiæ usu sublata, etiam sublatum est istud Impedimentum. *Ad 5.* Pontifex, cum incestuosus dispensans ad Matrimonium inter se contrahendum, ut cum Palacios advenit Sanch, *l. cit.* id gravamen illis imponit, ut homines ab incestu prohibeantur, & hinc ij, quibus impositum illud fuerit, tenebuntur eo impedimento, non tamen ex vi incestus, sed ex virtute solius præcepti Pontificij. *Ad 6.* Licet incestus cum propria consanguinea sit gravius peccatum, minus tamen injuriosus est Matrimonio, & uxori, vel Sponsæ, quam si cum istarum consanguinea committatur; cum his enim commissus Affinitatem inducit, quâ Matrimonium cum sponsa contrahendum dirimitur, & si contractum sit ante scelus, delinquens privatur jure petendi debitum conjugale ab uxore propria.

30 *Quæritur 6.* An Impedimentum Affinitatis dirimens Matrimonium sufficienter probetur per assertionem unius, vel confessionem utriusque conjugis, aut Sponsi; & hic adhibendam esse distinctionem, quam innuunt Vivian. *in c. 2. de consang. circa med. & in c. 3. h. tit. v. ideo*, Canil. *ibid. n. 1. & seqq.* Barbof. *n. 1. & 3.* Wagne-reck *not. 1. & 2.* Vel enim agitur de Matrimonio contrahendo, vel de jam contracto dissolvendo.

Si primum, etiam uni alleganti Impedimentum dirimens creditur, ut Gloss. *fin. in c. 3. cit.* & communiter D. D. notant; quia tunc agitur de peccato vitando, ne impediti, & inhabiles contra Ecclesiæ prohibitionem contrahant, & sic graviter peccent.

31 *Si secundum*, non creditur conjugibus, etiamsi ambo confiteantur, subesse Impedimentum dirimens, sed hoc debet esse aut publicum, & notorium, aut per idoneos testes comprobatum, ut habet *c. de illo 3. & c. super eo 5. h. tit.* quia periculum est, ne fortè inter se colludant contra Matrimonium, & hac ratione via aperiatur ad dissolvendum Matrimonium, quod legitime contractum est.

Neque obstat, quod post confessionem, in Jure, seu Judicio factam, nihil queratur amplius, sed confessi pro judicatis habeantur *l. post rem 56. ff. de re judic. junct. l. un. C. de Confess.* nam hoc verum est tantum in ijs, quæ ex confessione partium pendent, ac in libera eorum potestate sunt. At verò dissolutio Matrimonij non dependet ab hominibus, sed à DEO; quia quos DEUS conjunxit, homo separare non potest *can. quos DEUS 18. caus. 33. q. 2.*

Quæritur 7. An tanta probatio requiratur etiam, quando agitur pro Matrimonio jam contracto conservando? & negativè; nam pro Matrimonio deponentibus conjugibus creditur, & statim eorum confessioni. Gloss. *in c. 5. h. tit. v. confessionem*, Barbof. *ibid. n. 3.* Pirhing *hic n. 17.* Ratio disparitatis inter hunc casum, & *n. 30.* allatum est, quia assertio conjugum, quando deponunt pro Matrimonio, est valde favorabilis & ipsis confitentibus, & toti Reipublicæ, cujus interest, Matrimonium, ejusque valorem defendi, ut liberis hominibus civitates repleantur *l. dotium 1. ff. solut. matr.*

At verò confessio adversus Matrimonium est valde odiosa, tum ob præsumptionem collusionis conjugum, ut dictum est; tum quia confitentur in ea re, in qua contrahentes sibi præjudicare nequeunt, cum Matrimonij dissolutio non pendeat à potestate conjugum, quippe quod ratione Sacramenti est indissolubile; tum denique, quia ejusmodi confessio præjudicat proli, & alijs bonis Matrimonij. Hinc Impedimentum, quod dicitur ob stare valori ejusdem, probari aliter debet, vel esse notorium: ad quod tamen non sufficit rumor viciniæ, ut indicatur *c. super eo 5. h. tit.* rumor enim notorium non facit, sed fama publica, à qua rumor distinguitur, quod rumor quidem fit, quando pars aliqua, nempe tertia, vel quarta communitatis aliquid asserit; fama autem, quando tota Civitas, vel viciniæ, aut major ejus pars aliquid evulgar.